

M I E E P L

1 6 4 Z



2

DISCURSUS
HISTORICO - POLITICUS
De
Lamentabili Excidio CIVITATIS
MAGDEBURGEN-
S I S,

In gratiam illorum qui communis Patriæ ejusdemquè libertatis & incolumentis Patroni & conservatores sunt

Collectus
Studio & opera
Amandi della Croce.

2. *Macchabæor:* c. 5. v. 17.
Propter peccata inhabitantium Civitatem modicum
Deus fuerat iratus: propter quod & accidit
circa locum despectio.

Dion. lib. 1.
Ex historia viri fortis qui fatum suum implevère, immortalem adipiscuntur gloriam, & à posteris laudantur.

ANNO SALVATORIS
M. DC. XXXV.

DISCURSUS
HISTORICO - POLITICUS
DE
Tumultus pii Exequio Civitatis
MAGDEBURGEN.

S I S

in distans illorum dei communis patris eius
deinde impetratis ex iurisdictione patrum ex
consuetudine patrum

College

Sedicio ex obiecta
Amundi de Cocco.

2. Recuperatione. c. 2. d. 12.

Propter necessitudinem civitatem modicam
Dens tunc invenit: propter duorum ex officiis
circa locum debegit.

Dens sibi

Ex iurisdictione patrum istam suam impleat, immo
talem seditionem gloriam, quod obiecta est.

quatuor

ANNO SALVATORIS
M. DC. XXXV.



Ulamvis in aliena mala eorum
demq; causas inquirere, supervacuum esse du-
co, maximè cum ex ejusmodi disquisitione,
nullarestitutio ablatorum fieri possit, & ma-
gis nubes hæc temporum & rerum publica-
rum postulet, ut quilibet patriæ sue afflictæ
consilio & auxilio succurrat, & ita futuras calamitates, &
miserias antevertat: Attamen cum sint tempora, ut sepius
inopinati casus interveniant, etiam sapientibus, & res nostras
& nosipso involvunt aut evertunt, qui ex precedentibus fu-
nestis exemplis, præviâ eorundem verarum causarum demon-
stratione possunt præcaveri: Non inutile fore duxi, de eversio-
ne civitatis Magdeburgensis, ejusq; causis, tenui Minervâ ali-
quid conscribere. Præsertim cum aliis etiam civitatibus Mars
ante portas, & in simili casu & culpâ, quod tamen DEUS be-
nignissimè avertat, interitum & ruinam minetur.

Ut autem à primordiis rerum gestarum exordiar, certum
& notorium est, ab initio obsidionis, omnia saluberrima consi-
lia, pro salute civitatis, tam extrâ, quam intramenia concepta,
partim per intestinas dissensiones, partim per prodiciones fui-
se turbata, & quemlibet civium non ad Rempublicam, quæ ta-
men videbatur animam agere, sed privatam respexit; Chri-
stianissimi Regis Sveciæ, Reverendissimi Administratoris, nec
non fortissimi Herois, ac incomparabilis Mareschalli Falcken-
bergij p. p. m. m. laudatissimos conatus, pro incolumitate &
salute Patriæ, magis turbasse, quam promovisse. Et nullum est
dubium, quin DEUS montes excæaverit, ut ita iter publicis fa-
tis aperuerint; Habent enim ista transitus suos, imo interitus, co
quorum temporacum venerint, nulla vis aut consilium ea fir- co

met; Ut etiam clarissimus Poeta Lotichius in sua Elegia, nunc
in Idioma germanicum translata, ante septuaginta annos,
hanc fatalem metam miserae civitati vaticinatus fuerit:

Quemadmodum enim Urbes terminos habent incrementi &
decrementi ambulatorios, jam mœnia panduntur latius, jam
contrahuntur angustius: Aut uti flumina non semper equabi-
lit in lecto decurrunt, nonnunquam decentius, aliquando flu-
unt superbius: Sic & civitatum & regionum sua sunt fata,
quaæ finium regundorum judicium exercent, statuuntq; ex oc-
casionibus modum. Et hoc eò magis, quando chronici & diu-
turni ejusmodi morbi, nullis sanioribus consiliis, saluberrimis
remediis aut peritiæ cedere volunt, nec in serenitate, quæ ad
tempestatem usui futura sunt, præparantur; sed magis cives
avaræmentis, & privatæ utilitatis inflamat furor, & vulgus
invidum bonis consiliis dominatur: Sicut etiam Magdeburgi
ejusmodi malorum semina, pendente obsidione, palam sparsa
fuere. Et quamvis incomparabilis Mareschallus, unâ cum
Reverendissimo Administratore, omnem moverint lapidem, ut
in herba opprimerentur, omnia tamen salutaria consiliarivivi-
bus fuere suspecta, & mutuâ quadam diffidentia suspensa. Ex
quo hoc consecuti sunt, quod calcitrones & refractarij equi, ut
verbera etiam aliquot excipient, nec tamen excutiant jugum;
Meliùs profectò fecissent, si à DEO & fato ejus pependissent, in
acie stetissent, pro patria, aris & focis strenuè pugnassent, &
maturè de mediis ad defendendum necessariis, prospexitserent,
eaq; in medium contulissent; Ambitio & avaritia multa regna
& oppida evertit, & adhuc multa civili tempestate jactantur:
Sicut etiam in aliis locis hæ turbæ augescunt, & in isto mari coti-
tie majores fluctus. Sed benigno DEO gratia, qui illos con-
cussit, non dejecit, ostendit vulnus, non impressit.

Ipsum pectus mihi commovit series malorum quæ passi su-
mus. Heu homines quid sumus? Quid speramus? Videtis
pulcherrimum hoc mundi corpus, ruit aliquando? Videtis hanc
Germaniam nostram? jam ruit. Sed ad propositum.

Nobi-

Nobilissimus Mareschallus animi magnitudine, corporis viribus, laborum tollerantia fortissimus habitus, contra violentiam Cœsarianorum, per quam acerrime pugnavit, ipsiusq; divina atq; eximia virtus, magnis populi luctibus & miseriis subvenit, influentes circa urbem copias repressit, quod M. T. Cicero, de Cajo Mario in Orat: de Provinc: consularibus dicit; Nihilominus cives constantiā hanc & pertinax ipso robur multò minus violentos hostium insulto ferre non potuerunt: Ex experimen-
to deprehensum est, sicut primus impetus Magdeburgensibus major quam virorum fuit; Ita subsequens minor, quam fœminarum, ut ita novercantis fortunæ tempestate, nihil constantiae, nihil animi tunc habuisse deprehensi sint, fataliq; deteriorum consiliorum amore, omnia mascula, defensionis remedia spernendo, ignoriam, timorem, desidiam, avaritiam turpissimè prodiderint.

Quanta igitur rerum humanarum inconstantia sit, quam incerti casus, quam dubius, varius, fallax, obnoxiusq; periculis sit mortalium statu, externis priscisq; exemplis ostendere non est op̄o, satis superq; Magdeburgica Respublica docet, que paulo ante florens, splendens, clara atq; ita potens erat, ut tempore Caroli quinti, sese doti Imperio opposuerit, nec tamen ad faciendum postulata, adigi potuerit: Hæc eadem nunc rerum olim præclarè & fortiter gestarum gloria orbata, opibus spoliata, lacerata, conculcata, atq; eversa, omnium rerum egens, ita corruit, ut omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisq; armorum ardor defebuerit. Antè hac gravioribus incommodis agitata, maximis detrimentis cladibusq; perculta atq; attrita, nunquam tamen animū abjecit; Imò semper ex victa victrix facta est. Idem & nunc sperasset, nisi omniū animi concidissent, ut nulla non modo vincendi, sed ne obstendi quidem, illis spes relicta fuerit, & ita armis abjectis, in squalore, sordido & fastore languescens, ignominia, probroq; deformis, ludibriis atq; contumeliâ referta, unico momento omniū victoriarum laude amiserit. Considera quæso, candide lector, ecquis unquā populo vilius sese abjecerit? Ecquā

600001

A 3

gen-

gentem terror naturali constantia turpis exarmauit unquam?
Et quamvis viderunt odium Imperatoris & Catholicorum,
Principum in commune praeponderare, quo Urbs sic arsit, ut ne-
mo ferè eorum tunc adeò mitis fuerit ingenij, quin illam aequè
ac publicam libertatis ac Religionis pestem, fraudem ac insidia-
rum nidum, excindendam censuerint; attamen in hisce angu-
stiis curam immortalis Herois Falckenbergij pro bono publico &
salute civium, parvi aestimarunt. Cum enim ipso Duce hostes
profligere potuissent, vix primum impetum ipsorum experti, fæ-
dissimè projectis hastis priusquam ad hostem pervenirent, in-
fugam & ad certam cædem sese prostituerunt. Utinam verò
tali stratagemate se ab obsidione liberare potuissent, quo Flo-
rentini adversus Ladislauum, Ungariae & Neapolis Regem usi-
sint: Libidinosissimus ille urbem eorum obsidebat arctissimè, &
jam sic presserat, ut deditioles leges esset præscripturus; omni-
tamen eos metu atq; obsidione liberat, hâc conditione propositâ,
ut sibi tradant virginem quandam, quam pulchritudine omni-
bus aliis superiorem esse acceperat: Non abnuerunt Florentini
pudicitiae hostes, sed non sine dolo bono: virginis enim pater
Medicus, illo tempore magni nominis, tam turpi necessitate ex-
pugnatus, dat filiæ sudariolum, odore & artificio elaboratissi-
mum, quo novum amantem in primo congressu demulceret.
Et ita nova venus ad Martem suum egreditur, cui amori defla-
granticum sese permitteret, ex mandato domestico incalescen-
tis carnes sudoriolo perfricat; quâre venenum in utriusq; cor-
pus eâ penetravit vehementiâ, ut mox inter mutuos amplexus
ambo expirarint.

Utinam, dico, virgo Magdeburgensis, ita suum procum-
beasset, & hoc stratagemate sese metu, & urbem tyrannide li-
berasset: Sed eheu, quâm miserè rabie factiosorum civium est
deflorata, labefactata, ut deserta nunc & civibus destituta vi-
deatur; O civitas olim præclara, quæ vidisti ob multam
discordiam in tuis visceribus sanguinea spectacula! quæ illæ
militum carnifina, & cadaveribus completa loca orationum!

Immò

Immò fluxerunt Templa sanguine, & quis denarraverit omnia
tyrannidis exempla? Quis ad funera innocentium infantum
non cohorescat? Res sanè auditu, & multo magis visu horren-
da, emptas & venditas esse virginis jam dum stupratis, tan-
tum ad animum vindictæ cupidum exaturandum. Immò in-
mortua fœminarum cadavera, quæ mortem ob laudem pudi-
citiæ oppetierant, stupris fuisse grassatum.

Nullus Sylla, nullus Phalaris, nullus tyrannus unquam,
ultionis immanitate par fuit Cœsarianis. Si verò in causam hu-
jus excidij amplius disquirere lubet, nulla alia extitit, nisi desi-
dia, avaritia & discordia civium, quæ patriæ jugulum petiit,
atq; evertit: Media enim ad defendendum necessaria, quæ ta-
men habuerunt, non subministrarunt; militibus Regis Sveciæ
ad auxilium missis, ac pro aris ac focis pugnantibus, alimenta,
quæ nunc ignis consumpsit, denegarunt, ita etiam, ut stipem
ostiatim querere, coacti fuerint. DEUS immortalis hanc im-
manitatem ac acerbitatem cadere in christiana pectora? Ou-
tinam milites benignius tractassent, & conjunctionem animo-
rum amassent, forsan hostium impetum fregissent. In ejusmo-
di enim temporum acerbitate, & cum omnia misericordiarum ple-
na, sine spe allevationis, durare melius est, immò omnia pro pa-
tria ejusq; incolumente impendere, viri fortis & libertatis a-
mantis est; Jam verò vident, quo ipsos produverint acerba,
quorundam consilia, nec percocta satis ad prudentiæ solem.
In serenitate, quæ ad tempestatem usui sunt convenit præpa-
rare. Cum & molitor in summa securitate retinacula parat
& aggeres reficit, Villicus dum non pluit, tectum reficit, futu-
rum aliquando cogitans diem, quo nubibus densatis pluat. Si-
mili modo Magdeburgenses re adhuc integrâ interitum pre-
cavere facile potuissent, si solummodo concordiam amassent, in-
natam securitatem profligassent, & saniora consilia secuti fu-
issent. Sed auri sacra fames curam & salutem Reipub: exulare
fusit. Dolendum & deplorandum est, in civitate tantas fu-
se dissensiones, tam rares publici amantes. Miserum quidem
est

„est fortunam experiri adversam miserius cum malum quidem
„sentitur, sed nullum admittit remedium; omnium vero miser-
„rim, quando calamitatis remedium in promptu est, & qui
„potest non vult, qui vero vult, non potest mederi. Proh do-
lor! eò nos varietatem temporum, negligentiam nosmet ipsorum,
& adversam fatorum nostrorum sortem redigisse, ut Ger-
mania, quæ inde ab exortu extera subjugabat & gubernabat
regna, jam oppugnanda, subjuganda & evertenda immineant
indigne; ita secundum Ovidium.

Amor. E.

leg. 9.

Victi resurgent

Quosq; neges unquam posse jacere jaeent.

Ego vero puto, etiamsi cum afflictis sit habenda commisera-
tio, attamen eos, qui patriam ejusq; incolumentem salvare po-
tuerunt, nec tamen fecerunt, in pari esse culpā, ac si parentes,
fratres ac amicos interfecissent, nulla alia adducti causa, quam
amore pecuniae & rei familiaris, quæ tamen uno momento in-
cineres redacta fuit: privata enim utilitas Magdeburgenses
sic tenuit in vinculis, ut aliqui ex concubibus, & quidem ma-

Jacobus A-jorum gentium, pecuniae ac ambitionis amore, cum hostibus cor-
lemannus. responderint, & patriæ libertatem in summum discrimen con-

jeccerint, illisq; prodiderint: Si enim aliquot millibus coronato-
rum Mareschallum iurisset, quorum solutio illis fuit certissi-
ma, & ita ipsius fidelissimam intentionem, reipsa sustinuerint,
fortassis urbs adhuc esset in salvo, & cives fortunas omnes, pa-
rentes liberos, & liberi parentes haberent. Idcirco non im-
merito de Magdeburgensibus dici potest, quod olim Leonardus

De capti- Chicensis exclamavit: O Graeci jam miseri & miserabiles, qui
vit: Consta- in opiam fingebatis! Ecce enim jam in lucem venerunt thesa-
nopol. ri, quos pro urbis subsidio denegastis. Eundem enim fortunam
tom. 2.

Tantos enim Thesauros defossos, tam novos quam veteres eru-
re, ut estimationem excedant. Patriam diligunt boni omnes,

Came- rar. ho- “ nec renunt, quicquid in vita habent, pro ea impendere. Et
rar. suc- “ hostis patriæ non immerito dicendus, qui ingravescentibus pe-
cisi var. riculis

oper. c. 63.

riculis tempore obsidionis omnes facultates & quicquid habet, " pro defensione non confert. Sed quomodo hoc à Magdeburgen- sibus factum sit, eventus plane tristissimus satis superq; te- statur.

Quæ autem civitatis jugulum petijt, est toties facta a- nimorum, Magistratus ab ordinibus, & Administratore atq; Mareschallo, & ordinum civiumq; inter se dissidentium periculosa distractio, quæ non aliter, quam civili sanguine, potuit sopiri.

Mareschallus nobilissimus Heros à Christianissimo Rege Sveciae missus fuerat ad parandam defensionem, ipsius igitur persona, quæ patriæ bono stabiliendo augendoq;, sancta esse de- buisset, parum authoritatis & auxiliij apud cives hacuit. In senatu fuere saniorum consiliorum scissurae & factiones, immò effugiae, ut in tali sensuum Europo, in illis ingeniorum fluctua- tionibus, in tali perpetuo ordinum dissidio, quod Cœsariani optu- mè norunt, omnia quasi ventis undiq; fœvientibus, parvis ma- xima, ima summis, mixta & ad interitum præcipitata fuerint. Et ex omnibus circumstantiis satis patet, quod urbis non virtute hostis, quæm propriæ civium desidia & discordia victa sit. Interim tamen æterni nominis gloria fortissimo Mareschallo manet, qui in tali ataxia, ad salutem publicam pro viribus re- spexit, civitatis antiquæ gloriam & libertatem tueri, summo studio conatus est. O divinas curas! o pias curas! quis tan- to talique Athlanti non compregetur prosperos etiam ultrà vo- ta successus? quis pro incolumitate illius se non provolvat ad aram venerabundus? honor merito maximus etiam illi post obitum habetur, qui in obsidione perpetuis maximorum operum actionibus occupatus, de salute & defensione civitatis cogita- vit, noctes omnes diesq; perpeti sollicitudine pro omnium cu- stodia transegit, atq; oblitus quodammodo sui, aliis vixit, ac tandem fortiter occubuit. Tralatitium est, in vulneribus "

B

letha-

“læthalibus peritiae suæ specimen edere Chirurgum, in morbis
“desperatis artem suam ostendere Medicum, in præliis dubiis vir-
“tutem suam, animiq; præstantiam declarare Ducem, & in a-
“trocibus tempestatibus experientiam suam probare nauclerum:
Ad eundem modum in maxima fortunæ adversæ tempestate
Mareschallus suam constantiam & immobilem animum exuit,
dubia prudenter, adversa fortiter, lata moderate tractavit,
ac tandem sanguinem in oppugnatione & defensione profudit,
satius esse existimans perire semel, quam sub acerbissimi Car-
nificis arbitrio Spiritum ducere. Cum in ejusmodi misero re-
rum statu pars felicitatis existimanda, absq; cruciatu interi-
tus. Et utinam reliqui cives ita etiam mortem pro patria op-
petiissent, funera suorum acerbissima, supra, raptus, & alia
immanitatis ac tyrannidis exempla non vidissent, quæ tot ac
tanta fuere, ut nemo sine horrore hujus impietatis tragediam
narrare possit. Quæ enim gens tam temerè fuit supersticio-
sa unquam, aut tam religiosa crudeliter, ut consanguineos ac
fratres suos, secum eundem Deum adorantes, eundem Salva-
torem Christum venerantes, tantum, quia libertatem ad nu-
tū prostituere non voluerunt, tanquam fœdissima carcinomata
è corpore expunxerit? Scilicet parum erat prætextu religio-
nis, religionem ipsam, & cum religione DEUM in crucem age-
re, nec non colore Majestatis Cœsarea, tot Imperij Provincias
nobiles exscindere, subditos in exilium pellere, charitatem &
fraternum amorem in immanem tygridis furorem convertere,
purpurâ sanguinis miserorum civium & innocentium Luthe-
ranorum (heu quod myriadum) campos & flumina inficere,
nisi ad tantorum malorum Iliada accessio fieret excidium
Magdeburgensis civitatis immanissimum, omnium scelerum
& flagitorum panthera, ad cuius memoriam illos Statij Pa-
pinij versus, in dispari re, licet hoc accommodare:

Exci-

Excidit illa dies ævo, nec posteræ credant
Secula: nos certe taceamus, & obruta multa,
Nocte tegi propriæ patiamur crima gentis.

Namq; ut impietas eò splendidiorem ageret triumphum, Comes à Tilli, qui cum lacte hanc artem hausit, ut fidem, consilia dissimulare, vultum componere, ludum duxerit, perfidiae cassibus implicabat nimis credulos Magdeburgenses, propositis ad deliberandum de pace induciis, quas etiam acceperunt, & præviâ consultatione pro Mediatoribus denominarunt, Electores Imperij, Saxonem & Brandenburgensem, juxta ac civitates aliquot Hansaticas, & ut eò securius Legatos suos ad illōs mittere possent, petierunt salvum conductum, quem non solum promisit Comes à Tilli, sed etiam ultrò sese obtulit, quod Legatis pro majori securitate, nec non celeriori expeditione adjungere vellet Tubicines castrenses: ast eo ipso die cum eos expectarent, & legatos cum literis dimittere vellent, rescripsit, res suas nunc esse in alio statu, nec posse pati longiorem moram, propterea, hortaretur, ut sine ulteriori extremorum sufflamine, quid faciendum, deliberarent; quo facto, eo ipso mane cum animus esset consultationem factam transmittere, & consules cum ceteris Senatoribus ac Tribunis plebis adhuc in curia starent, nunciatur, hostem cum maximo impetu vallum & muros ascendere & oppugnare.

Initium igitur tragediæ factum à vulnere Mareschalli herois incomparabilis, qui, dum fortiter & acerrime pro salute & libertate civitatis pugnabat, & suos ad strenuè pugnandum adhortabatur, globo percussus & semimortuus in domum deportatus est, ubi inter suorum planctus & lectus spiritum emisit, cuius mortem mox truculentissima & sanguinaria clausula secuta, totam civitatem in metum & turbas conjecit. In hujus enim corde & anima totam vim ac potestatem residere, vivere ac vigere asseverabant hostes. Postea sæviebatur ab hosti-

bus in insontium capita & fortunas sine discrimine, peculiari
hoc veluti penso illis attributo, dum Miles à suis Ducibus huc
illuc circum-volitantibus magis magisq; irritatus in cives effu-
sâ ad omnem intemperiem licentia bacharetur. Rebus sie-
stantibus, milites ad mandatum Comitis Tilli, urbem in ple-
risq; locis incendunt, tum strepitu concursantium ad cædes &
prædam plateæ & via personare, morientium aut proximorum
periculo queruli ululatus exaudiri, cæsorum cadavera perfene-
stras deturbari, ædium areæ ac conclavia ipsa cædis oppleri, ca-
davera per compita & lutum pro voluta raptari, cruore per
plateas tantâ copiâ exundante, ut sanguine huc illuc torrentes
in subjectum flumen demanarent. Innumeram multitudinem cæ-
sa, virorum, mulierum etiam prægnantium & puerorum, in-
fantium, lactantium, nec non seniorum (nam non feras tan-
tum, sed cum feris catulos omnino perdendos esse, vociferabant
Assassini) hic multa millia hominum utriusq; sexus, omnis æta-
tis, omnis conditionis, sine ullo humanitatis pietatisve imma-
nium tyrannorum sensu, crudelissima fata, uno die involuta,
sunt; Fuerunt inter Canabalicos istos tyrannos quidam pro-
fligati pudoris & perditæ vitæ homunciones, qui sèpiùs postea
cum horrore bonorum visi & auditi fuerint, vœsanâ confiden-
tiâ jactare, cum nudum exerent brachium, isto se centum
& amplius homines in illa laniena mactasse. Nec parùm
hanc crudelissimam stragem auxit, quod Generalis Tilli con-
sensu & nutu tyrannidem militum & incendium urbis deman-
darit, ut cives qui comprehensi essent, ac comprehendendi possent,
ad unum omnes quam primùm, nec expectato alio Mandato
delerentur. Nec mora in supplices illos, qui in sacrosanctæ
templa fugiebant, ac DEI hominumq; fidem implorabant,
statim irruerunt, easq; immisericorditer, prius tamen misere-
rorum crumenas sagaciter scrutati, occiderunt, luctuosissi-
mo utiq; spectaculo, cum filij patrum collo implicati, patres
filios

filios complexi, fratres, amici, se ad constantiam invicem hor-
tantes ab efferatis lanijs, ceu pecudes macti sint, inter ulula-
tus, lamenta & clamores, nec non ignis fragorem & horro-
rem immanissimum, que tota urbe personabat & grassabatur.

Et quia contrucidatorum cadaveribus, in platea hinc
inde jacentibus, sepultura negabatur, eadem in Albim ab effre-
nibus militibus precipitata sunt. Supernatantia autem per
fluvium corpora, in magna copia retro ad civitatem appule-
runt, & ripas compleverunt, ita ut hostes horrore percussi, ad-
ministros adhibuerint, qui ad amovendum spectaculum rapi-
do fluctu delata cadavera contis propulerunt, sed frustra, cum
nihilominus adverso flumine redierint, non sine occulto DEI
judicio.

Magnitudinem vero perniciei in viros fortissimos, in
civitatis Proceres, in veræ pietatis alumnos, in florem utriusq;
sexus innocentissimum & pulcherrimum, ab orci Emissariis
sic immaniter exercitæ, quâ si viris fide dignis credimus, ad
minimum viginti hominum millia imperfecta, viduis ac pue-
ris orbis innumerabilibus, ad summam vel mendicitatem vel
inopiam redactis, nulla lingua satis differere potest. Quis enim

— — — prodere tanta relatu
funera? quis cædes posset deflere nefandas?

Claudian.
in Ruff.
lib. I,

Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vel schinis Istimhiaca pinu, vel rupe profundâ
Scyron vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?

O mites Diomedis equi, Busridis aræ

Clementes? Jam Cinna pius, jam Spartace lenis

His tyrannis collatus eris.

Janus
2523

Hæc nunc Generalis Tilli est pietas, hæc illius Religionis
sacrificia, hic divini nominis est cultus, hæc sunt imperatoris no-

stri & totius cohortis Papicolarum in DEI honorem edita munera, hæc sunt fidei antiquæ monumenta, omnia tam illustria, omnia tam sancta & religiosa, ut fæx Jesuitarum cum reliqua rasa cohorte, hunc diem funestum supplicationibus quotannis celebrandum indixerit; Ut Imperator de excidio hoc immannissimo feliciter peracto certior factus, statim D. O. M. protanto beneficio Imperio collato, gratias ritu solenni egerit, ex Castellis publicæ lætitiae signum, festâ tormentorum displosione dederit. Scilicet hæc omnia truculenta & horrenda facta, ab omni fide tam sunt aliena, ut inde unanimi orbis Christiani, sine affectu judicantis suffragio, cum æternâ & nunquam intermoriturâ infamia, atq; odio in seram posteritatem transfiguro, antiqua levitatis nota, antehac aliquatenus excusata, nunc planè credita, & Imperatoris, nec non Generalis Tilli propria facta sit: hæc ab omni honestate tam sunt devia, ut inter ipsos Catholicos aliqui, immò ipse Comes Tilli passim in literis ad Electorem Saxoniae, & alios Proceres Imperij datis, ut Imperatoris bono, famæ ac existimationi inservirent, officiosissimis excusationibus scelus patratum, & immanissimum tyrannidem simulatè & astutè imminuere, & causas in militem inordinatum, & furiosum devolvere, vel aliis exquisitissimis ex falsa narratione detortis narratiunculis ingeniosè diluere necesse habuerint: Ita deniq; à bona conscientia illa omnia tam sunt exorbitantia, ut ipse Tilli, post infelicissimum hoc excidium, nunquam latus, sed semper mente consternatus visus, immò ab omni belli fortuna exclusus fuerit, Non itaque

Juvenal.
Sat: 13.

Evasisse putas illos, quos conscientia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo terrore flagellum.
Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis
Quos & Caditius gravis invenit & Rhadamanthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore hostem.

Nos

Nos Germani execramus & non immerito, immanis illius
Phalaridis & Sylla Hispanici, illius Ducis Albani, monstri pa-
cularibus sacris lustrandi. Verum quantacunq; ista Albani
in Belgas, quantacunq; aliorum Tyrannorum alibi fuerit cru-
delitas, præ illa tamen Tillianorum militum in miseros Magde-
burgenses exercita immanitate, lusus & jocus esse videtur.
Cohorresco ad feralem tot florentissimarum civitatum ac inco-
larum immemorabilis cruciatibus & homicidiis exhausto-
rum memoriam: Adhuc in reecenti memoria est, strages ista
Mundana, quā Tilli etiam luculentum tyrannidis exemplum
edidit, & atiam multa: parumq; abest, dum ad ingenitam natio-
ni nostræ mansuetudinem & Cœsaris hinc inde decantatam
clementiam, ea, quæ sic referuntur à fidis alias scriptoribus,
compono, quin fabulis aut calumniis adscribam, quæ tamen ve-
rissima esse credere cogor, si tot immanes expopulationum mo-
dos, inter quos, contributiones antè paucos annos ex-cogitatæ,
non mīnimum sibi vendicant locum, cogitavero. Quot e-
nim myriades civium ac incolarum per totum Imperium Ro-
manum, in deferendis ejusmodi oneribus occubuerunt, & ex
ægritudine ac impatientia ante diem obierunt, aut ad extre-
mam paupertatem, immò ad exilium ac desperationem com-
pulsi fuerunt? Etsi verum fatear, nihil est aliud præsens bel-
lum Cœsarianorum, quam grande latrocinium. Idcirco illi
interroganti, cur possideant? cum prædone apud Ulpianum,
hoc tantum respondere possunt, quia possidemus. Sed quis tan-
dem exitus? nullus alius, nisi ut conculcatà antiquâ statuum
Imperij libertate & extirpatâ Religione Lutheranorum, Proce-
res & status ad exemplum Belgarum eò procedant, & coacti
viribus invictæ necessitatis, quam jura divina ac humana, le-
gibus solutam esse consentiunt, cum spiritum incolumen serva-
re, hanc lucis usuram oculis haurire, precariam animam aliter
retinere non possint, extremam defensionem, quam ratio do-
ctis,

Etis, mos gentibus, & natura ipsa brutis animantibus præscribit, animosissimè suscipiant, atq; regnum Imperatori, quod nemo quisquam aliâs sine crimine lœse Majestatis ausus esset optare, justè abrogent, seq; suo Marte in libertatem vindicent, causam armorum & magna parte Christianorum gentium approbante, & DEO ipso tam manifesto nunc favore, tam admirandis successibus, exercitum Christianissimi Regis Sveciæ, p. m. nec non cæterorum Statuum Imperij prosequente. Non est mirum, quod fortuna infausta maximi illius Dominatoris Regis Hispaniæ Philippi, & nostri Imperatoris bellum injustissimum subsequetur: Cum ille tot populis ac regnis latè imperans; ut vix eorum titulis recensendis memoria ipsius sufficiat, flore sui Patrimonij (Provinciarum Belgicarum) devolutus sit, sine sper recuperandi, & jam, cum suis olim subditis, a quo jure pacisci non aspernaretur. Quanquam Rphilippus Rex pater sàvum & immansuetum Albani ingenium non probavit in quem, postquam is Belgio vastato spoliatus, potius quam devicto aut pacato in Hispaniam redierat, pertinax odium ostendebat: quod tamen penes nostrum Imperatorem non residet, qui omnia truculenta facta & gesta in Imperio, non tantum approbavit, sed etiam bonis & opibus Lutheranorum remuneratus est. Sed qualis tandem exitus? Videtur Cæsarem capiti suo diadema jam detraxisse, & dubiæ Martis aleæ exposuisse, quod

Cambden: olim Svecorum Rex de Anglia Regina dixit. Et quamvis Cæs in annal: sariani contra justissimam Regis Sveciæ expeditionem, nil nisi Anglic: ad annum vindictam spirent, nil nisi cruce, furcas, brata fulmina, banni

1585. excidia, contrâ Principes & Civitates somnient, & putent ac sperent animorum ac voluntatum inter ipsos detractionem; tamen non sine vehementissima animorum commotione demerentur, necesse est, Christianissimi illius Regis p. m. exercitum patrocinium palam suscepisse, & Potentissimo Monarchæ jure defensionis, ac confœderationis licito sese opposuisse. Quin immo

immò ferant illi nunc ægerrimè felicissimam hanc, Regis p. m.
ejusq; Exercitus & Statuum expeditionem, toties in Germania
feliciter ire & redire; Germanis Principibus injustitiam, cru-
delitatem, & veteratorias Cæsarianorum artes detectas esse:
Immò insānè dolent illi, Regis Sveciæ exercitum felici audacia,
brevi tempore tot Regiones, frustrà Cæsarianis resistentibus,
immò primo impetu fugam capientibus, liberasse, atq; immen-
sam præda vim asportasse. At enim insaniant, quamdiu
quantumq; velint, etiam cum orci intemperijs, & infernalibus
legionibus in Lutheranorum Principum ac statuum perniciem
conspirent: in illa tamen intentione, si domesticis factionibus
non scindantur, fixum pedem nunquam ponent.

Fateor equidem, quod Catholici jamdudum omnem move-
rint lapidem, ut discordia & periculosa distractio inter Status
& Ordines Imperij esset, sicut etiam ad eum finem pestifera se-
mina sparserunt, quorum fructus adhuc supersunt, & ita fa-
cile hæc viâ quantæcumquæ Germaniæ vires, jugi dissensu ordi-
num, dum in commune non consulunt, facile dissolvantur.
Interim Catholici Principes & Status inter se amant concor-
diam, dissidia detestantur, ligas suas in perniciem Lutherano-
rum adirventas, in dies propagant, quæ etiam tantùm robur
habent, ut istis horrendis malis extirpandis, impar esset Aescula-
pius, tantisq; monstris eradicandis, impar esset Hercules.

Et nisi Rex Sveciæ p. m. severà atq; regiæ magnanimita-
te ac fortitudine, digna adversus occultas ejusmodi machina-
tiones & insidiis in tempore applicasset remedia, nullum est du-
biū, quin te-territum tandem, & quantum Germania susti-
nuit unquam sacerrimum LIGÆ monstrum, cuius summa ca-
pita Imperator & Bavariæ Dux, pessimo imminutæ & concul-
catæ Religionis, nec non libertatis Germanorum periculo, omni-
bus viribus communem Reipub. perniciem & interitum impor-
tasset; cum abominabilis & portentosa bestia illa, sub specio-

C

sissima

Plin: hist: sissima Religionis & boni publici persona exinde, non ut serpen-
nat: lib. 8. tes Indici solidos cervos, taurosq; sed totas Provincias & Po-
c. 14. pulos abligurivisset. Cum illa adhuc instar hyænae sermonem
humanum inter Pastorum stabula assimulantis, nomenq; alicu-
jus addiscentis (Alles in des Römischen Käysers Nahmen)
quem evocatum foris lacoret, Lutheranorum Principum ac
subditorum incolumentem, per falsissimas sincerationes con-
federationes & pacificationes proditorie mentiens, Imperato-
ris autoritatem & statuum fidem ac obsequium, cum omni-
um præsentissimo discrimine, cardinibus sic emovit, ut totum
Romanum Imperium, ipsiusq; saniora membra ad perniciosissi-
mam divulsionem & totalem ruinam perduxisse videatur.

Interim tamen præcipua nobis spes sit in DEI auxilio, qui
pro recto & honesto certantes adjuvare solet; nihil autem
Joseph. c. honestius, quam pugnare pro libertate ac religione Patriæ.
19. anti- Nos Germani Lutherani jam satis, nisi fallor, pro offensis in-
quit: lib: 2. DEUM pænarum pervolvimus. Illi Cæsariani etiam ipsorum
in nos crudelitatis & adversus Majestatem divinam ingratitu-
dinis pænas etiamnum dedisse credo, gravissimas autem datu-
ros certissimus sum.

Nec existimandum, quod Imperator civitatem ita exci-
derit, industria factum militari; Nec enim militibus Regis
Sveciæ vel bellicosiores vel animosiores, vel audaciores vel for-
tiores fuerunt: Sed cum offensi à civitate Dij forent, àrcano
statuerunt consilio, ut ad castiganda immoderata inhabitan-
tium vitia, illis tanquam carnificibus crudelibus uterentur.
Nęg; vel illos tam fortes, vel hos Regis Sveciæ milites tam
imbellies credo, quin nisi tum Dij se se interposuissent, sed Neu-
trales fuissent & utrisq; ex equo favissent, potuisset fieri ut vi-
ctorum spoliis non potiti essent: nam si verum dicendum est,
victorias Cæsariani in Germania non armis, quæ Austria aut
Bohemiam extulere, sed vitiorum, quæ in Germania erant; mul-
titudi-

titudini debent. Cum igitur nos perierimus, quod malis fuerimus, Deosq; minimè propitios habuerimus: quid futurum censes Cœsarianis, cum & ipsi vitiosi sint, & Deos habeat infensos. Deus malis ut carnificibus utitur ad sumendas de malis pœnas. Interim etiamsi videatur adhuc longius trahi rem in hisce oris & produc calamitates Patriæ jam exhaustæ, & Germania bello quasi ardeat, & theatrum sit dulcissima nostra mater sanguinolenti Martis: non tamen abjiciendus animus, quem sifratio non affectus subegit, ille est eritq; in firma arce, quam nulli insultus, nulla vis perfringent. DEUS ex machina hactenus adstitit, & Christianissimum Regem Sveciæ p. m. velut Palladium, periclitanti patriæ objecit. Pro quo beneficio, quas gratias, quas laudes Domino nostro JESU Christo exhibere debeamus, nec mens concipere, nec lingua proferre potest. Sunt vices rerum, & magnus ille gubernator, modo temporum lenem aliquam mitemq; æstatem inducit, modo asperam turban- temq; hyemem. Ut rerum omnium, sic & regnum & civi- Exempla-
tatum suam mortalitas est, provinciæq; velut pile datatim de-
manu in manum propelluntur. Quis cum Manlio numeret Lotharin-
eversas Urbes regumq; ruinas? Inq; rogo Cræsum, gica &
Priamumq; in litore truncum?
sese offerūt
in domo

Omnis ævi fata testantur, inclytas urbes planè pessum Jul: Scalig:
isse, ac nomina superba tumulis & æternæ nocti intulisse in admis-
Quot status Imperio avulsi per interfina bella, provinciæ ex rand: poe-
emptæ, regiones aliorum dominiis intextæ sunt, nec face nec mate de-
viatico investigandæ. Et si vetera Imperij scrinia volvemus, regnor.e-
actutum reperiemus, urbes plerasq; ac nomina eorundem non
magis jam cognita, quam Faunorum & Aborigenum genealo-
giam. Ferenda omnia ac expectanda & votis expetenda me-
liora; sed vita in primis, quæ si emendata, profecto hæc quoquæ
brevi emendabuntur. Etiam si omnia non ad inclinationem,
modo, sed ad ruinam spectare videantur, in quo negotio mise-
rabilis

Plin. hist.
nat. lib. 3
c. 4.

rabili Jesuitæ clavum tenent, qui omnia innovare, turbare, audent; & hoc specie Religionis ac pietatis. Hactenus tamen, DEO gubernante, conspecta hostium insolentia & nostra innocentia aliter fortuna statuit. Est enim Regula ista generalis: Fieri nequit, ut è bello scelerate suscepto & contra datam fidem impotenter gesto, victoriam aliquis reportet. De pace quidem exigua spes est, ut nubes ista bellorum minatur, quæ adhuc impendet. Sed nimirum hæc sunt, quæ robur animi & constantia vincit, & DEUS ajuvabit nos in his civilibus turbis, quibus magnum illud Imperij corpus varie concutitur. Interea nihil metuendum, si solummodo inter status & subditos protestantes fida animorum conjunctio stabiliatur. O miseri Germaniæ inferioris & superioris populi! quot annis jam pessimis internisq; bellis jactamur? Utinam Thebanum aliquod par & commorientium pugna adesset, ne longo lentoq; bello, tandem ad ruinam præcipitaremur. Fatales nec non diutinae turbæ nostræ sunt, ferendum, & sicut nube ingruente sub tectum configimus; Sic in ejusmodi rerum statu ancipiti, ad sapientiæ & providentiæ divinæ arcem, quam fortuna nullis machinis evertit: Et ut Gubernator fluctus assilentes negligit, manum in clavo habet, oculos in Astris. Sic nos oportet, quod bene agim, agere, & mentem ad DEUM & mortuō Rege invictissimo Gustavo ad incomparabile Heroem Oxenstiern referre; maximè cū fortuna nulla in re magis dominetur, quam in bello, quod etiam Cœsariani satis superq; experti sunt, & fieri potest, ut præterita luxurians Cœsarianorum fortuna, inferioribus subselliis tandem adhærescat.

Exempla si cuivis in præsentia placeant, sunt in promptu; Julius Augustus Imperator Romanorum, qui tam prospero fortunæ cursu, per omnes felicitatis humanæ gradus, gloriosatus est, ut successoribus Imperatoribus, inter publica vota acclamatum fuerit: Felicior Augusto: Attamen ille bona fortuna

zune filius, graves ignominias, cladesq; duas omnino, nec ali-
bi quam in Germania accepit, Lollianam & Varianam; Sed
Lollianam majoris infamiae, quam detrimenti, Varianam pe-
nè exitiabilem, tribus Legionibus omnibus cæsis. Hac nun-
ciata excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret,
& præsidibus provinciarum propagavit Imperium, ut à peritis
& assuetis sociis continerentur. Vovit & magnos ludus Jo-
vi Opt: Max: si rem publicam in meliorem statum vertisset;
quod factum Cimbrico Marsicoq; bello erat. Adeoq; conser-
natus scribitur, ut per continuos menses barba capilloq; sub-
misso, caput interdum foribus illideret, vociferans, QUIN-
CTILI VARRE, LEGIONES REDDE, diemq; cladi quot-
annis mæstum habuerit ac lugubrem.

Ita plerumq; immoderatam & superbæ pennis actius
evolantem fortunam, DEUS omnium potentissimus cohibere
potest. Quod etiam in præsentibello hactenus evenit. Im-
perator enim potentia suâ fortunam complexus, quas natio-
nes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem
dari, quibus eripi, quos Principes aut Comites mancipia fieri,
qua ruant Urbes, suam Jurisdictionem esse à summo capitulo
hactenus intonavit, & hæc omnia occasione discordia nostra
effecit. Tandem vero rebus tam impotenter & tyrannicè ge-
stis subsequutum est, quod Caligula de Germanis triumphanti
accidit; quos ille ita metuebat, ut eorum rebellione auditæ, ad-
ventuq; in Italiam nunciato, mox fugam & subsidia fugæ
classes, apparauit, uno solatio acquiescens, transmarinas certè
fibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga, ut
Cimbri, vel etiam Urbem, ut Senones quondam occupa-
rent. Talis eventus erit tandem à partibus exercitus Cæ-
sariani: Qui etiam jam dudum subsequi potuisset, si
saltem Principes Lutherani & Protestantes conjunctis vi-
ribus ejusmodi tyrannidi sese opposuissent.

Ast viderunt Catholici, ipsorum successus & expeditiones, nullare magis potuisse sustineri & juvari, quam Principum & Statuum Germaniae discordia. Quod etiam jamdudum tempore Romanorum, non absq; summo Germanorum dispendio factum fuit. Pax Romana, ipsorummet Romanorum iudicio, nullo vinculo fortius connectebatur, quam Germanorum inter se odio, ut Tacitus solenne votum in hæc verba conceperat.

Tacitus rit: Maneat quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, de morib: at certè odium sui, quando urgentibus imperij fatis, nihil jam German: præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

Quod etiam Imperator Carolus V. benè scivit, cum ipse Germanus, Germanorum Imperij Majestatem quorundam Thuan. Principum castigatione tueri discuperet; statimq; didicit, fruhist. lib. 2. stra se futurum, nisi viribus eorum divisis, Germanicum roLansius O-bur, contrariò Germanorum robore frangeret. Nam ut sumrat: pro mæ virtutis atque prudentiæ fuit, bellum Smalcaldicum ProGerman, testantium, omnium quæ gesta sunt in Germania & nostris & majorum temporibus maximè memorabile, feliciter confecisse: Ita quoq; nullus Principum confiscere potuisset, nisi Germanus, nullus, nisi Carolus, & nullis, nisi Germanorum inter se Thuan. studiis scissorum auxiliis. Non enim ad victiarum palmas hist: lib. 4. suffecisset, Cæsarem ipsum heroica fortitudinis & imperterriti Sleidan: animi specimen undiq; exhibuisse, exemplo & generosis hortabitibus suos confirmasse, aspera admodum hyeme sub pellibus cum milite mansisse, ut ipsi militi, militaris patientiæ exemplum esset, aut etiam aliquot Hispanorum & Italorum centurias, imo Legiones in Germaniam adduxisse: his enim non Ulrici VVürttenbergici magna-nimitas labefactari, non Philippi Landgravij a Dacia laxari, non Joann: Friderici Electoris Saxoniæ constantia, quæ vel inimicorum testimonio adversam fortunam superavit, & mortis sententiam latrunculorum lusu in contemptum securè vertit, concuti potuisset: qui Princi-

Comm:
lib. 8.

pes

pes singuli ævi nostri Harminij & Heroes nominandi essent, nisi
Harminio & priscis Heroibus meliores & majores essent: sed
in eoconfecti belli gloria consistit, quod Cæsar tot annorum ex-
peditionem ita ordinaverit, ut ipse, ^{modum} ^{87:102} contra quos parabatur,
longo tempore nihil de ea subveriti sint, quod animo, popula-
rium inter se commiserit, aliis metu in suas partes pertractis,
ut sibi invicem per mutuam lanienam exitio fuerint, quod
privatas Alberti & Johannis Brandenburgicorum contra Hes-
sum simultates, & Mauritijs ambitionem atque adeò occultam in
Joan: Fridericum odia, arte & mirâ versutiâ in suam utilita-
tem convertit, eoque illos furore cæcos adegerit, ut religionis
quam profitebantur, & libertatis Germaniae spredo periculo,
arma pro patria expedienda in se se ipsi strinxerint.

Et tamen ex toto illo bello, parum emolumenti ad Cæsa-
rem rediit.

Eiusmodi Comædia immò tragædia adhuc agitur, mutatis
tantum personis: quemadmodum etiam ex præsenti bello, in
quo Duces & alij primates, aliquot auritonnas lucrati, Cæsar
nihil: immò subditi per contributiones & alias machinatio-
nes bellicas, pessimè consummati fuerint.

Hæc sunt Cæsarianorum experimenta & res gestæ, quibus
res publica & privata periclitatur, & in hoc negotio miserabi-
li rasa cohors Jesuitarum totum habet Directorium, & omnes
actiones ad Lutheranorum & cæterorum protestantium per-
niciem dirigit. Ast videmus qualem exitum habeant ipsorum
consilia, & qualem fructum Imperator, nec non reliqui Ca-
tholice Religionis Electores, Principes & cæteri Status Imperij,
ex ipsorum consiliis colligant.

Ante introductionem istius ordinis sceleratissimi, omnia
in Imperio Romano erant pacata & tranquilla, Pax religionis
saluberrimè à statibus ad subditorum salutem & incolumita-
tem observabatur. Jam vero, postquam Monachi & ipsorum
affectiones

assecla ad consilia vocantur, quasi ventis undiq; sevientibus.
parvis maxima, ima summis miscentur.

Dolendum & deplorandum est, quod Principes Catho-
lici causam tanti malorum, curant; quemadmodum Jesuita-
rum ordinarii comiter, nunc astutè, modo paternà lenitate,
Euphorim: fol: 78. modo majestate censoriā, etiam sequester est conjugum dissi-
dis, deponendis inimicitiis author, sociatum, nuptiarum, fæ-
derum, piceatis, scientiæ, Justitiæ, virtutis omnis & religionis
arbiter. Principes populi metu, Magnates Principum ficta
benevolentia tenet. Describit civitatum gubernationes,
Magistratus, Provincias, Imperia, omni gravitate & sapien-
tia (scilicet) mandat etiam privatorum controversias. Quid
magis dicam, possessiones non solum Laicorum, sed etiam alio-
rum Monachorum & Clericorum ad se vi trahunt, ut magis in
nequitia inclarescant, dies noctesq; nihil aliud meditantur,
quam quaratione ac vi ordinem nequissimum possint promo-
vere: Et ita macilenti isti semper egent famentq;, nec mit-
tit cutem nisi plena crux hirudo. Nihil hic dicam amplius
de Jesuitarum veteratoriis artibus, dolosis sincerationibus &
aliis calliditatibus, in quibus Reges & Principes Terrarum a
prima infantia instituunt, & postquam in Regimine quasi ca-
ptivos detinent, ut nihil sine ipsorum consilio in publicis nego-
tiis decernere possint, immo cum Machivallo artem & pruden-
tiam esse statuunt, si per sincerationem & vafritem Magna-
tos ad suas partes trahere, & postea sine ullo promissorum Ef-
fectu decipere possint. Cum tamen nulla sit capitalior pestis
hominum, quam eorum, qui tum cum maximè fallunt, id
agunt, ut viri boni esse videantur. Sed hodie ejusmodi artes
Jesuitarum sunt detectæ, & ipsorum Domini non sine gravis-
simo damno sentiunt, quem tristissimum eventum talia con-
silia habuerunt. Cum nihil omnino sit, quod magis Principum
acceleret interitum, quam si viris se stipatos sapientibus, quo-
rum

rum consiliis utantur, existimantes, viros sese improbos, à quibus decipiuntur, habere deprehendunt. Et Historici affirmant, tunc ad ruinam inclinare cœpisse Romanam infelicem, quandore legata ex Curia columbinâ simplicitate, calliditas cœpit serpentina dominari.

Sed hisce non attentis, nihilominus Imperator noster consiliis Jesuitarum in summam boni publici perniciem vergentibus, seductus, bellum contrà Status & Principes Imperij, ad extirpandam Religionem, suscepit, quætamen per hoc magis efflorescit, & propagatur, quam eradicatur. Subditi vero per ejusmodi tyrannicos processus à devotione & fidelitate recidunt, nec quicquam moventur, etiam si vi, rapinis & cedibus, ad internecionem usq;, prosequantur, & urbes militibus occupantur; cum parùm prospic muros quidem populorum capere, animos vero civium alienare. Et certissimum est, fore ut Imperator tandem libenter arma deponeret, quando hoc in ipsius non amplius erit arbitrio. Motum enim semel bellum, nego. "Joseph: 2. deponere facile est absq; magnis calamitatibus, nequè susti bell; Junere." "daic: 16.

Quando vero calculus subducitur, quot florentissimæ regiones & civitates in Imperio à Cœsarianis sint deperditæ, nullum est dubium, quin justissima & rationabilis vindictæ causa sit remansura, cum non ut homines Christiani, sed deterrimus quam Turcæ, seu Barbari grassati fuerint.

Carthaginenses & Romani, quamvis olim bellis implicarentur, nihilominus virtute excelluere, & Rempub: habuere optimè constitutam; Sed Cœsarianorum proprium fuit jugulare homines, absumere fortunas, & super omnia novas inducere contributiones, & veterer ac præclaros bellimores abolere.

Interimita cogitandum, quicquid in lamentabili Excidio civitatis Magdeburgensis & alibi uno die per vim congresserunt, id uno die DEOS illis erepturos, & contra quicquid multis annis sinceri & constantes Lutherani perdiderunt, id una Deus hora illis reddituros. Fortuna mutabilitas justa nobis "Boët. 2.

D

causa

Consol:2. "causa sit meliora sperandi; cum nihil sit in quo magis suam
declaret fortuna inconstantiam, quam in rebus bellicis. Et
cum omnia humana, tum maximè Imperia multis casibus sunt
Livius lib: exposita, & maxima cuig fortunæ minimè credendum est.
42. Id: lib:

2.

— Quicquid in altum,
Fortuna tulit, ruitura levar.

Tillianus Exercitus propter successus & expeditiones fe-
lices insolentior factus, potentiam Christianissimi Regis Sveciae
p. m. nimium contempsit, & quasi ludibrio habuit, & quamvis
comes Tilli per totam Europam laudem & famam singularis
prudentiæ contraxerit, attamen in hoc valde erravit, quod ma-
ximam fiduciam victoriae in numero, prudentia militari, &
Apul:lib: a continuo cursu felicitatis reposuit; cum nec consilio prudenti-
q. asin. "nec remedio sagaci divinæ providentiae fatalis dispositio sub-
aur. "verti & reformari possit. Et nullus DVX adeò felix sit, ut in
bello diuturniore fortunam semper habeat propitiam. Hoc
certissimum est, quod quanto circa primordia vel urbs vel per-
Guevar: sona aliqua fuerit felicior, tanto in senectute habeat infestio-
lib.3. c.17. rem fortunam. Et plerumq; mutatis belli ducibus, fortuna
vel secunda vel adversa mutatur. Quod etiam cum DEO in
expeditione Generalis Tilli evenit, ut, quanto major fuit ipsius
excellentia, tanto gravior subsecuta est ruina, & fatis urgen-
tibus ipsius exercitum, omnia salutaria consilia evanuerunt:
& hoc eò magis, quando consideramus, quam pertinax fortu-
na Cæsarianis incubuit, quæ suos habet transitus, imò interitus:
Et nemo potentia sive prudentia iter publicis fatis precludere
possit, quorum temporacum venerint, nulla vis aut consilium
ea firmet, quod plerumq; suas periodos suumq; habent morta-
lia casum. Et juxta illud Lucani:

in se magna ruunt latis hunc numina rebus
Crescenti posuere modum.

Propterea ne in presentia animus est abjiciendus, erigat
se potius, & ut palma attollat se, contra hoc belli pondus. In-
spiciamus ludibria rerum humanarum, & aleam ambigue for-

tun&c



zuna, que gaudet jactum aliquem, ex occulto jacere nec expectandum. Magnus ille Gubernator, excitavit Christianissimum Regem Sveciæ p. m. tanquam propugnatorem Religionis & libertatis, ille voluit nostram spem sustinere. Primordia ipsius expeditionis fuere satis salutaria, intentio bona & laudanda.

Nec est quod exercitum Cæsaris, & Catholicorum Principum tam potentem faciamus, ut ipsi non possit resistere, Eventus aliter docuit. Opinio nobis hæc facit magna & metuenda, queratione si examinas, levia sunt.

Igitur omnia constanti animo toleranda, quem si ratio non affectus subegit, ille est eritq; in firma arce, quam nulli insultus, nulla vis perfringent. Et nulla est tanta vis, tanta co-
pia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Cic: pro
Et Marcell:
hoc eò magis in hoc præsenti bello, quod planè ex nulla legitima
causa, sed occasione suppressimendæ Religionis incæptum & ha-
ctenus continuatum, & id specie pietatis. Meā sententia, ut
rerum facies minatur, flacessit jam fortuna Imperatoris, &
ad cœnū pervenit, cui senium suum est, ut omnibus rebus hu-
manis, & aliquando fatalis meta. E contrâ Christianissimi
Regis Sveciæ p. m. exercitus crescit. Et quemadmodum hu-
jus expeditionis justam & piam causam habuit: ita etiam ad-
huc animum, ordinem & disciplinam habet: DEUS inclinare
& reflectere potest ad salutem miserorum subditorum, corda
magnatum, eorundemq; incepta & salutaria consilia prospera-
re. Idem servet Reipublicæ & bonis omnibus Generalissimum
Ochsenstirn, ut tandem ipsius ope & auxilio, post tam diu-
turnas tenebras, miseris populis Germaniæ Sol aliquis illuceat
firmoris pacis & tranquillitatis, quod confido futurum, ma-
xime si vices rerum considerem, & quod magnus ille Guberna-
tor modo temporum lenem aliquam mitemq; æstatem inducat,
modo asperam turbantemq; hyemem. Ferenda omnia & ex-
pectanda, ac votis expetenda meliora, sed vita in primis quæ si
emendatur, profecto hæc quoq; brevi emendentur. Improbi-

lib. I. de "tatis medicina est pœna. Et cum secundum Augustinum, flu-
Civit. Dei "gellum DEI ad patientiam erudit bonos: Et si Medicis gratiam
c. 8. "habemus, & mercedem solvamus, cur in Medicina DEI non
"acquiescimus. In praesenti calamitate agnoscenda est justicia
epiet. c. DEI, & quod animadversionis gravitas non aliunde, quam ex
13. vita nostra pravitas proficiscatur, dum clandestina crimina
nostra, ipsum ad sumendas de nobis publicas pœnas exfusci-
tant. DEUS est qui punitur it jure veterem nostrum luxum
feramus, aut ne feramus, emendemus. Interim subnixi cer-
ta fiducia, quod DEUS Ter Opt. Max. a nostra parte victoria-
rum successus, ad altiora magis magisq; feliora fastigia per-
ducet.

Quemadmodum olim Suevi, Goths, Vandali, Franci, Sa-
xones, Longobardi, Normanni, & alij nostrates, iter in Capito-
lium & ad Aquilas perpetuis militiae laboribus straverunt:
Ita etiam DEO favente, Regis Svecie, p. m. nec non statuum
Imperi exercitus, cursum suum eò dirigere & hostium insolentiam
compescere potest. Ille enim est, qui tot laboribus & su-
doribus, tot illustribus victoriis, hostem ex inferioris & superio-
ris Germaniae Provinciis profligavit, ut non immerito Rex Sve-
ciae vir DEO proximus dici possit, cuius memoria per orbem ni-
hil non venerationis meretur, cuiusq; fortuna omnes supere-
mines alias.

Tandem DEUS Altissimus TER OPT: Max: adjuvet nos
in his civilibus externisq; turbis, & largiatur effectum initæ
pacificationis salutarem patriæ, qua profecto & consiliis & so-
latiis, si unquam eget. Haec tenui Zephyri aliqui melioris spesi
afflarunt, sed subturbant subito ex transverso Noti. In DEO
spes est, atq; eo solo, quem in hoc statu rerum in Concilium &
auxilium advocabimus. Desino candide Lector, & peto ut ad
hujus Discursus dijudicationem candorem & animi dexter-
itatem attemperare, eamq; cum præclara & solida
scientia miscere velis.



TK 4441



bda

nc



HISTO.
Lament
MAC.

In gratiam il-
demquè l.

A-

Propter pecca-
Deus fu-

Ex historia v.
talem

AN

